

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 27: De sequela Dei (4)

Augustinus:

O mi domine Ihesu! Te nosce optima consolatio est,
tibi adherere vita eterna est, a te separari mors perpetua est.
Nil, queso, preter te dulce mihi fiat, nil placeat,
nil pretiosum adhereat, vilescant michi omnia preter te.

Tedeat me gaudere sine te, delectet me tristari pro te,
et sit michi nomen tuum refocillatio, memoria tua consolatio.

Cum inhesero tibi exaudi me, et nunquam erit michi labor et dolor,
sed viva erit vita mea, tota plena etiam te.
Nunc autem quia plenus tui non sum, honeri michi sum.

Hoc autem scio quia male mihi est preter te,
domine deus meus,
et omnis copia, que deus meus non est maxima, egestas est.

←

Nihil, quaeso, sine te mihi dulcescat, nihil placeat:
nihil speciosum, nihil praeter te arrideat pretiosum; vilescant omnia praeter te.
Quod tibi est adversum, mihi sit molestum; et tuum beneplacitum sit mihi indeficiens desiderium.
Taedet gaudere sine te, delectat gaudere tecum, et flere tecum, et conturbari pro te.
Sit nomen tuum refocillatio mea, memoria tua consolatio mea.
Si peccat mea prohibent, si me delicata mea excludunt non repellit.
→ O bone Jesu! Memoria tua super mel dulcis; meditatio tui plus quam omnis cibus suavis;
de te loqui plena refectio, te nosse perfecta consolatio:
tibi adhaerere vita aeterna; a te separari mors est perpetua.

Pseudo-Bernardus Claraeuallensis, *Lamentatio in passionem Christi*, 3 (PL 184, col.771A-B).

Cum inhaesero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor,
et uiua erit uita mea tota plena te.
Nunc autem quoniam quem tu impleas, subleuas eum, quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 10.28 (CCSL 27, L. Verheijen ed., p.175, ll.1-4).

Hoc tantum scio, quia male mihi est praeter te
non solum extra me sed et in me ipso,
et omnis mihi copia, quae deus meus non est, egestas est.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 13.8 (CCSL 27, L. Verheijen ed., p.246, ll.17-19).